

Ducis Mecklenburgici regnantis, *CAROLI LEOPOLDI*, a consiliis aulicis et legationibus, *IOANNES CAROLVS*, aurifabri arti deditus, *ERNESTVS HENRICVS*, Medicinae Doctor et Practicus Suerinensis, Serenissimi heu quondam Ducis nostri, *FRIDERICI GVILIELMI*, a corporis cura, et *M. GVSTAVVS FRIDERICVS*, liberarum artium Magister. Ex *AVGVSTO MAGNO* autem, eiusdemque coniuge multo carissima, Magnifici quondam Viri et Consulis Lüneburgensis, *HENRICI OTTONIS*, immaturo ante annum et quod excurrit, fato extincti et nobilissimae matronae adhuc superstitis, faxit *DEVS*, quam diutissime, *SARAE MARIAE MEINECKENIAE*, filia, *SARA ILSABE*, excellentissimarum virtutum foemina, nepotem vnicum, neptemque pariter vnicam vidit et exosculatus est, *OLAVM IOANNEM HENRICVM* et *MARIAM ILSABEN*, cunctarum sane elegantiarum gratiarumque compendia. Quorum omnium singulorumque fortunam sanctissimo nunc Numini, fide eam in rem nobis data, indefinenter commendat auus paterque longe desideratissimus.

Ad extrema nunc nostri propius accedimus. Corporis equidem constitutione et habitu a benigna natura praeditus erat robusto admodum et laborum tolerante, sed quem arthritici dolores, familiaris sibi morbus, ita paulatim subegerunt, vt postremis tandem aetatis temporibus vix sibi similis videretur. Erecti tamen semper animi et medios inter cruciatus laboriosissimus. Magistratum Academicum quinquies, Decanatum vero saepissime in Facultate sua administravit, quod vtrumque munus
sum-